

Ad scholia in Homeri Odysseam observationes criticae duae.

Vlixes, posteaquam Ciconum urbe capta quae deinceps gesta sint narravit, domum cum suis reversurum se fuisse exponit, nisi infesto undarum ventorumque impetu repulsi essent. Pergit ι, 79 his verbis :

καὶ νῦ κεν ἀσκηθῆς ἐκόμην ἐς πατρίδα γαῖαν
ἀλλὰ με κύμα ἕοος τε περιγνάμπτοντα Μάλειαυ
καὶ Βορέης ἀπέωσε, παρέπλαγξεν δὲ Κυθήρων.

Ad haec scholion nobis servatum est a Dindorfio ita editum: *τηρεῖ* . . . ὡς μικρὸν τῇ σωτηρίᾳ τοῦ Ὀδυσσεύος· καὶ γὰρ ἔμπροσθεν ἀπὸ Καλυψοῦς πλέοντα τῆς γῆς τὸ ναυάγιον ἐπιγίνεται, καὶ ἐξῆς ἤδη τὴν Ἰθάκην ὀρώοντα, ὅτε παρ' Αἰόλου πλεύσαντι ἐπέθεντο οἱ ἐταῖροι. Variis haec esse modis turbata perspexit Polakius in egregiis suis ad scholia in Hom. Odysseam observationibus (Lugd. Bat. 1869) p. 70. Is etiam pleraque quae erant corrigenda, meo iudicio ita correxit, ut si nova mihi scholiorum editio curanda esset, emendationes eius recipere non dubitarem. Ac primum quidem pro *τηρεῖ* imperativum requiri videns scripsit *τήρει*, deinde sensu monuit carere verba *τῆς γῆς*, quae cum neque ad ἀπὸ Καλυψοῦς neque ad τὸ ναυάγιον referri possint, unde tandem pendeant frustra quaesiveris. Coniecit igitur Polakius sat probabiliter post πλέοντι excidisse *πλησίον ὄντα*, quod si per compendia λ π ὄντα scriptum erat, facillime potuisse excidere apparet. Sensum ita praebent scholistaetae verba aptissimum: iam antea Vlixi venerat, ut in ipso terrae conspectu naufragium faceret, et brevi post iterum Ithacam suis oculis vidit, cum ab Aeolo revertenti socii insidiati sunt. Sed restat in scholii initio lacuna, cui explendae imparem se esse Polakius confessus verbum e scripturae vestigiis elicere nullum potuit, quod simul et sententiae et literarum reliquiis congrueret. Enarrat autem de eis Dindorfius in append. p. 777 haec: literarum aliquot, quae in T. inter ὡς et μικρὸν oblitteratae sunt, tres primae

διο sunt. Tum sequitur $\overset{0}{\pi}$. — Quod π supperadditum habet cum dubitemus num verum literulae vestigium sit, occasione oblata iam in diariis Zarnckianis a. 1869 p. 1392 coniecimus scriptum fuisse *διαλείπει*, quod paucis nunc liceat commendare. Nihil ante omnia scripturae reliquiis magis conveniens cogitari potest quam *διαλείπει*, cuius priorem partem integram fere servavit codex, alterius certissimum saltem reliquit indicem, quamquam Dindorfii verbis non plane apertum esse concedimus, utrum π illud statim post *διο* (nisi forte etiam nunc *δια* est?) sequatur an nonnullis literarum spatiis interpositis. Etiam sensu scholii coniectura nostra quam maxime commendatur. Simplex enim verbum *λείπειν* i. e. deficere cum praepositione *δια* coniunctum est, qua proprie intervallum quoddam significatur, ut vernacule vertendum sit 'dazwischen fehlen'. Atque hoc potissimum ut composito uteretur, scholiasta ipsa rerum condicione inductus est, cuius describendae et explicandae causa totum scholion apposuit: iam prope ad Ithacam ventum est nec magno intervallo Ulixes ab insula separatus, cum undarum infesta vi repellitur i. e. non multum abfuit quin V. domum reverteretur cum u. i. v. r. Hoc rectissime scholiasta non potuit solum sed paene debuit exprimere verbis *διαλείπει μικρόν τῆ σωτηρία τοῦ Ὀδυσσεύς*. Totum igitur scholion restituendum est: *τήρει, ὡς δια- [λει]π[ει] μικρόν τῆ σωτηρία τοῦ Ὀδυσσεύς· καὶ γὰρ ἔμπροσθεν ἀπὸ Καλυπτοῦς πλέουσι [πλησίον ὄντι] τῆς γῆς τὸ ναυάγιον ἐπιγίνεσθαι, καὶ ἔξῃς ἤδη τὴν Ἰθάκην ὁρᾶντι, ὅτε παρ' Αἰόλου πλεύσαντα ἐπέθεντο οἱ εἰσέροιοι.*

Multo gravioribus difficultatibus laborat aliud scholion, quod exstat ad δ 429:

*αὐτὰρ ἐπεὶ δ' ἐπὶ νῆα κατήλυθον ἠδὲ θάλασσαν,
δόρπον θ' ὀπλισάμεσθ', ἐπὶ τ' ἦλυθεν ἀμβροσίη νύξ.*

Adnotavit scholiasta secundum H. codicem: *ἄριστον. τοῦ Ἀριστάρχου: σημειοῦνται πάντες, ὅτι δόρπον τὸ δεῖπνον.* Haec recte se habere minime posse critici perspexerunt omnes, qui quidem locum tetigerunt. Verba *τοῦ Ἀριστάρχου* alieno loco illata esse monuit Dindorfius in append. p. 758 approbante Polakio l. l. p. 14, qui tamen libere confitetur nec de mendi origine nec de emendandi ratione certi quidquam statuere se posse. Unum illud recte observavit videri hoc scholion ab Aristonico originem duxisse, in quam eandem coniecturam incidit etiam Carnuthius novissimus Aristonicearum reliquiarum editor. Scimus enim Aristarchum de caena vespertina *δόρπον*, numquam *δεῖπνον* dixisse, cum contra Zenodotum utroque vocabulo promiscue usum esse indicent scholia ad A 86 et 730: *ἡ διπλῆ, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει δεῖπνον. δόρπον δὲ λέγει τὴν ἔσπερίην τροφήν. εὐθέως γὰρ κατακοιμῶνται.* cf. Lehrs, de Arist. stud. Hom. (ed. II) p. 127. Quae cum ita sint, nostro quoque loco pro recto *δόρπον* falsum *δεῖπνον* Zenodotum posuisse Carnuthius statuit a scholiasta suspicans mutata esse Aristonici verba, quae hunc fere in modum restituenda sint: *ἡ διπλῆ περιεσαγμένη, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει δεῖπνον· δόρπον δὲ λέγει τὴν ἔσπερίην τροφήν· εὐθέως γὰρ*

ματακομιῶνται. Simillima haec essent scholio ad *A* 730 antea laudato nec quidquam offensionis haberent, si vel certa optimorum librorum auctoritate vel unius saltem boni codicis commendatione traderentur. Sed cum Carnuthius nec singula vocabula, quamvis varie turbata sint, novae verborum continuitati intexuerit neque ordinem, quo tradita sunt, aliqua ex parte respexerit, tota mihi restitutum abiicienda videtur, e qua praeterea ne intellegi quidem possit quomodo orta sint Harleianae lectionis fragmenta. Equidem, ut breviter dicam quod sentio, de Aristonico scholii nostri auctore item cogito, cui sine dubio Aristarchi διπλῆ περιεστραγγμένη explicanda erat, dissentio tamen a Polakio Carnuthioque, quod verba codicis H. tantopere lacerata non solum omnia asservanda existimem verum etiam eo fere ordine, quo nunc leguntur. Habemus enim lacunae maiorem, quam si cui ita explere contigerit, ut nimiae audaciae vituperationem effugiat, is ad veritatem proxime accessisse videbitur. Quid igitur? si ἄριστον hoc loco commemoratum erat, quam id alia ratione fieri potuisse censeamus nisi ut caena matutina explicandi causa oppositionem quandam efficere diceretur ad caenam vespertinam δόρπον? Concedas id factum esse verbo ἀντίκειται vel alio exempli gratia synonymo, ἄριστον in scholii initio suo iure legi invenies. Sequuntur verba τοῦ Ἀριστάρχου, quae sane est cur alieno loco illata esse cum Dindorfio statuamus; pertinent enim, nisi fallor, ad τινές et a librario fortasse omissa postea loco non prorsus recto inserta sunt. Ergo scribamus τῶν Ἀριστάρχου τινές vel, si τοῦ servatum magis placet, τῶν τοῦ Ἀριστάρχου τινές, ut intelligantur Aristarcheae recensionis exemplaria, e quibus Aristonicum non aliter ac Didymum hausisse putandum est. Cf. La Roche, homer. Textkr. p. 106. Saepenumero autem apud Didymum ita commemorantur αἱ Ἀριστάρχου, unde et ipse et post eum Aristonicus, quae fuissent Zenodoti lectiones, cognoscere poterant. La Roche l. l. p. 104. Iam reliqua statim intelligemus, dummodo recte suppleamus, quae supplenda sunt: ὅτι ἀντὶ τοῦ δόρπον τὸ δειπνον μετέθηκε Ζηρόδοτος. Haec si concesseris aliquanto et simpliciora et veri per se similia videri quam quae ceteri tentarunt critici, totum scholion nobiscum sic fere restitues: [ἀντίκειται] ἄριστον. σημειοῦνται τῶν Ἀριστάρχου τινές, ὅτι [ἀντὶ τοῦ] δόρπον τὸ δειπνον [μετέθηκε Ζηρόδοτος]. Ita in re lubrica ad aliquem certe probabilitatis gradum ascendere possumus, ad plane absolutam veritatis persuasionem pervenire vix poterimus.

Dab. Gissae Non. Apr. a MDCCCLXX.

Guil. Clemm.